



The Holy See

PAULUS PP. VI

EPISTULA

DILIGENTIAE PLENAS*

AD E. MUM P. D. NORMANNUM THOMAM S. R. E. CARDINALEM GILROY, ARCHIEPISCOPUM
SYDNEYENSEM,
MODERATIONE ILLIUS ARCHIDIOECESIS SE ABDICANTEM.

Diligentiae plenas a te datas litteras accepimus per quas Nos edocuisti id susceptum esse a te consilium, ut regimen Archidioecesis Sydneyensis moderandae abdicares.

Diu et attente Nobiscum consideravimus rationes, quas attulisti, ut sarcinam ob proveciorem aetatem magis magisque onerosam deponeres; atque cum eas gravis ponderis esse aestimemus, eo adducimur ut, aegretamen, votis tuis obsecundemus et postulationem tuam ratam habeamus.

Attamen liceat Nobis nunc tibi, Venerabilis Frater Noster, vehementer gratulari, quod pro magnanimitate, qua nites, publico bono commodum tuum posthabere non dubitasti et, quamvis patris, pastoris, magistri amor antiquis arctisque vinculis te uniat gregi, quem relicturus es, ab eo, diuturna cura tua et deliciis tuis, abscedere statuisti. Maerori autem tuum solacium esto quod arduum officium honorabiliter gessisti, ac in eo perfungendo praeclara exempla et documents praebuisti virtutum, quibus sacrorum Antistes insigniter decoratur, et universis se facit venerandum, amabilem, carum. Illac tibi praecipue conspectae sunt: religionis alendae perpetuum studium, catholicae unitatis pervigil sensus, humanitas ad benefaciendum continenter propensa, peritus usus hominum et rerum, in dilectam patriam dulcis caritas. «Semper honor nomenque tuum landesque manebunt» (1).

Id vero Nos valde consolatur, quod in aliis magnis quidem negotiorum provinciis sagaci opera tua, quam magni pendimus, uti adhuc poterimus idque percipimus auspiciato fieri multos per annos, probe dictis, recte factis, aggestis meritis usque locupletiores et abundantiores. Haec imo e pectore ominatis, nihil Nobis reliquum restat, nisi ut tibi, Venerabilis Frater Noster, Apostolicam Benedictionem, divini et praesidii pignus, peramanter in Domino impertiamus.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXII mensis Iulii, anno MCMLXXI, Pontificatus Nostri nono.

PAULUS PP. VI

*A.A.S., vol. LXIII (1971), n. 9, p. 685(1) *Aen.* 1, 6, 13.

© Copyright 1971 - Libreria Editrice Vaticana

© Copyright - Libreria Editrice Vaticana